



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XXXVII. De potestate delegata, alteri concessa ad se absolvendum,  
déque potestate secum ipso dispensandi &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

tiolem, quando impossibile est, tutiorem sequi; est autem impossibile, ut plurimum, ut Confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione pœnitentis, cum ea cognitio nitatur dicto pœnitentis, aut aliis signis externis fallibilibus; & ideo

operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, utpote plerumque impossibilem; alias ferè nunquam posset absolvere pœnitentem, nisi in mortis articulo.

## CASUS XXXVII.

*De potestate delegata, alteri concessa ad se absolvendum, & secum ipso dispensandi, ac Confessiones audiendi.*

**M**AURITIUS Episcopus facultatem obtinuit absolvendi suos subditos à Casibus Pontifici reservatis; cum autem ipsemet in Casum Pontifici reservatum inciderit, subdelegat suam potestatem suo Confessario, ut se ab illo absolvat, qui, vix finita absolutione, tactus apoplexiâ extinguitur; In jejuniis verò, voto, & in iis, in quibus cum suis subditis dispensare potest, ipse Mauritius non nunquam secum ipso dispensat.

*QUÆR. I. An Episcopus, vel Abbas, possit secum ipso dispensare in jejuniis, voto, & iis, in quibus potest cum suis subditis?*

*QUÆR. II. An rectè Mauritius suo Confessario subdelegaverit suam potestatem ad se à Casu reservato absolvendum?*

*QUÆR. III. An potestas alicui delegata ad Confessiones audiendas, mortuo delegante, expiret?*

213 **A**D I. Q. Satis conveniunt dispensandi, posse secum ipsis dispensare indirectè, quando scilicet in lege jejunii v.g. vel festi dispensant pro tota Civitate, vel conventu,

DD. Episcopos, Abbates, aliosque superiores, qui potestatem habent cum suis subditis

ventu, eos quoque in tali dispensatione includi, utpote qui sunt præcipua membra, & pars Communitatis.

Sed tota difficultas est, an dispensare secum ipsis possint directè, in votis, juramentis, præceptis Ecclesiæ, & aliis, in quibus possunt cum suis subditis dispensare? Ubi non pauci concedunt quidem Summum Pontificem secum ipso dispensare posse ob plenissimam, quam habet, potestatem; negant verò de Prælati inferioribus habentibus potestatem ab illo derivatam. Alii complures generaliter id negant de omnibus obsequentes rationes.

Prima desumitur ex *C. fn. de institutu*, ubi deciditur, eum, qui beneficium conferre potest, non posse se ipsum instituere, & ratio subditur, quòd *inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis*. 2. Ex *l. quamquam 1. ff. de auth. & cons. tutor*, ubi Regula Juris est, *in rem suam auctorem tutorem fieri non posse*. 3. Quia idem super semetipsum jurisdictionem exercere nequit, *l. ille, à quo vers. Tempestivum, ff. ad Trebel. & l. ipen. ff. de recept. arbitr.* Dispensare autem est actum jurisdictionis exercere, & actum superioris in subditum, qui proin erga semetipsum exerceri nequit, cum nemo possit esse se ipso superior. 4. Ex *c. magna 7. de vot.*, ubi Innoc. III. Laudat Epi-

scopum Trecensem, quòd noluerit, se obligatione voti peregrinationis, quam voverat, exemptum judicare absque sedis Apostolicæ consilio. Ubi Glos rationem reddens *Verb. Consilio*, ait, *quia nemo juramentum, vel votum suum debet interpretari*. 5. Quia superior nequit se absolvere à censuris, vel aliis pœnis, & inhabilitatibus; ergo neque secum dispensare; ejusdem enim est ligare, & solvere *C. inferior d. 21. & C. cum inferior de major.* nemo autem legislatorum potest lege aliqua se ligare; adeoque neque absolvere secum dispensando.

Hæ modò allatæ rationes, si quid evincunt, probant etiam Pontificem secum ipso dispensare non posse; plenitudo enim potestatis in Pontifice præ cæteris Prælati in eo solo veratur, quòd sit generalis in toto orbe, & ab illa reliquorum Prælatorum potestas derivetur, possitque ex justis causis coarctari; nullus autem textus, vel ratio probat ad eam pertinere, ut solus Pontifex possit secum dispensare. Unde

Ad 1. Q. R. Episcopos posse 214  
probabilius secum ipsis dispensare in votis, juramentis, iisque aliis casibus, in quibus possunt cum suis subditis, nisi fortè speciale aliquid obstet. Ita communior sententia cum Suarez *l. 6. de LL. c. 12. n. 8.* Sanch. *l. 8. D. 3. n. 8.* Palao *tr. 3. D. 6. p. 7. §. 1.* Bonac. *Ff 2 D. 4.*

*D. 4. q. 2. p. 7. n. 31. Covar. cap. alma 1. part. §. 1. n. 7. Salas D. 20. sect. 3. diff. 3. & sect. 12. Laym. l. 1. tit. 4. c. 2. à n. 31. Rodriq. 2. p. cap. 30. n. 4. Henriq. l. 14. cap. 18. Basil. l. 8. c. 4. n. 9. Azor l. 7. c. 29. Soto, Lud. Lopez, Armill. Emman. Sà, aliisque pluribus. Ratio est; quia jurisdictio hæc secum dispensandi non est contentiosa, quæ testium probationem, ac partis citationem desideret, & sic personarum distinctionem exigat; sed solam postulat velut directionem ex prudenti iudicio ad perpendendam justitiam causæ dispensationis, quod non repugnat erga se ipsum haberi, quamquam magis expediens foret, ac securius alieno stare iudicio; Neque jurisdictio hæc est punitiva, seu coactiva, quam in semetipsum exerceri repugnat, sed est jurisdictio voluntaria, & gratiosa, quæ distinctionem personarum non requirit, & in qua potest quis secundum diversas rationes esse agens, & patiens, ac plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actus non obstet exercitio alterius, prout latè probat Abbas *c. ex litteris, n. 11.* constatque *ex l. si Consul ff. de adopt.* ubi si filiusfamilias præses sit, potest semetipsum emancipare, vel in adoptionem tradere. Sic licet nil æquè requirat distinctionem personarum, ac actus justitiæ, cum de ratione hujus sit esse ad alterum, nihilominus datur justitia*

ejusdem personæ ad semetipsam diversis rationibus consideratam, ut constat in Christo Domino, qui ut Deus homo satisfecit de rigore justitiæ, & quatenus una erat ex personis Divinis, sibi ipsi satisfecit: ergo neque repugnabit, actum hujus jurisditionis erga &c, se ipsum exerceri posse.

Conf. neque ex Jure naturali, neque ex positivo repugnat aliquem secum ipso dispensare: ergo hoc negandum non est Episcopo, aliive superiori. Non Jure naturali; nam si inde repugnaret, tunc ideò, quia dispensatio requirit distinctionem personarum, eò quòd sit actus jurisditionis, qui debet erga alium exerceri: atqui ex hoc capite nulla est repugnantia, quia jurisdictio, quæ requirit distinctionem personarum, est jurisdictio coactiva, & contentiosa, quæ inter partes fieri debet, vel quæ sententiam requirit condemnatoriam, vel abolutoriam; at jurisdictio, quæ in dispensatione exercetur, non est talis, sed est omninò voluntaria: adeoque non repugnat, ut quis erga se ipsum illam exercent.

Neque ex Jure positivo repugnat, si quidem nullibi reperitur generaliter prohibitum esse, superiorem non posse secum dispensare in iis, in quibus potest cum suis subditis; ratio enim in *C. fin. c. cit.* insinuata, quòd inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio

distinctio personalis, non est generalis, ut constat ex pluribus textibus ab Abb. in contrarium adductis, sed est specialis in illo casu Beneficiorum, ut vitetur iniquum ambitionis exemplum in Prælati, & maximum inconueniens, quod esset, si Prælati Beneficiorum distributor sibi ipsi Beneficium conferret.

Conf. 2. Vel hæc dispensatio secum ipso facienda est in lege propria, vel in lege superioris? Si primum, tunc non est propriè dispensatio, cum nemo propriè, ac directè sua lege ligetur, sed ligatur lege naturali dictante, eum non esse excusandum ab obligatione suæ legis, si honestam aliquam excusationis causam non habeat; dein etsi esset propriè, ac directè sua lege ligatus, posset tamen se ab illa solvere nolens obligari, siquidem obligatio legis ex propria ejus voluntate pendet; si verò ex causa dispenset in lege superioris, & ex ejus commissione, tunc, dum hic superior ipsi potestatem dispensandi concedit, ne Superior deterioris conditionis sit, quàm subditi, censetur hanc ipsam eidem etiam concedere quoad se ipsum. Eodem modo dicendum est de voto, & juramento; nomine enim Dei Superiores obligationem hanc remittunt, quibus à Deo hæc potestas non solum quoad subditos, sed etiam quoad se ipsos censetur concessa. Unde

Ad argumenta in contrarium supra proposita R.

Ad 1. Patet responsio ex dictis; quia ratio in c. fin. data non est sumenda generaliter, sed in illa materia Beneficiorum ob allatas supra rationes.

Ad 2. R. Id speciale esse gratiâ fraudum vitandarum: Unde negatur paritas; quia ibi est periculum damni in bonis pupilli; quale damnum non est in illa dispensatione.

Ad 3. R. Id verum esse de jurisdictione punitiva, & contentiosa; non autem de jurisdictione voluntaria, quæ juxta dicta potest ab aliquo in se ipsum exerceri, ubi satis est, si eadem persona respectu sui ipsius sit superior, & inferior secundum diversas rationes.

Ad 4. Episcopus ille laudatur, non quia fecit opus necessarium; sed quia fecit opus supererogatorium, & maximè decens.

Ad 5. R. absolutionem à censuris esse quamdam sententiam, quam nequit quis in se ipsum dictare, se seque absolvere, uti neque ab aliis pœnis, quæ sententiam requirunt, quasque per sententiam contraxit; quoad alias autem pœnas, quas quis ipso jure incurrit, quæque sententiam non requirunt,

Ff 3

sicut

sicut potest cum aliis, ita probabilius potest etiam secum ipso dispensare, ut patet ex dictis: imò tali casu potius dispensat Superior, à quo hanc potestatem accepit, & qui pœnam imposuit, ut notat cirt. Palao, qui cum Sanch. Suarez, & aliis citatis traditam supra doctrinam extendendam esse ait ad Prælatos regulares, Generales, Provinciales, Priores, Rectores, & qui illorum vices in absentia gerunt; quia hi omnes jurisdictionem habent quasi Episcopalem in suos Religiosos, & potestatem ordinariam dispensandi in jejuniis, votis subditorum, ac aliis præceptis ratione sui muneris instar Episcoporum cum suis subditis, ut cum cirt. DD. notant etiam Nav. l. i. Conf. in 2. edit. conf. 36. & in Summ. c. 12. n. 75. & Azor l. 7. inst. mor. c. 29. q. 6.

- 215 Ad 2. Q. Negativam tenet Beja cum aliis *par. 4. cas. 5.* eò quòd jurisdictione delegata non extendatur ultra personas in delegatione expressas, *C. P. & G. de offic. delegati.* atqui in hac delegatione, & facultate, quam obtinuit Mauritius, exprimitur tantùm subditi: ergo non debet extendi ad eorum Pastorem, seu Episcopum.

Nihilominus tenenda est affirmativa, & dicendum, si alicui ratione officii sui delegata sit potestas absolvendi, vel dispensandi cum tota Communitate, seu omnibus

subditis, posse eum in casu particulari illam alteri subdelegare, eique concessum esse, ut talem absolvendi potestatem suo Confessario committat, exercendam erga se ipsum, si tali absolute indigeat. Ita Suarez *D. 30. S. 2. & 41. S. 1.* Sanch. l. c. n. 3. Palao l. c. §. 1. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. Rodriq. l. 1. reg. qq. quest. 21. a. 8. Palud. Gabr. Sayr. Emman, sà, Tabien. alique plures apud Sanch. l. c. Ratio est; quia ex una parte non repugnat, Episcopum jurisdictionem in semetipsum exercere, etiam in absolute Sacramentali, committendo Confessario, ut ipsum Episcopum absolvat, ut constat ex communi sententia, afferente, Confessarium Pontificis ab ipso sortiri jurisdictionem ad illum absolvendum; ex altera parte non decet Episcopum deterioris conditionis esse, quàm suos subditos, qui præ manibus habent, à quo possint absolvi; Episcopus verò debeat absentem quærere: Unde in *c. fin. cirt.* datur facultas Prælati exemptis eligendi Confessarium, qui eos absolvat, ne cogantur absentem superiorem adire.

Conf. ex declaratione Congregationis Concilii Trid. apud Suarez l. c. ubi, *si Episcopus in aliquod delictorum, (de quibus Trident. Sess. 24. c. 6. de Reform.) lapsus sit, licitum esse ad se absolvendum, proprium Confessarium deputare, cum eadem*

dem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere. Accedit, quòd Papa tribuens Episcopo generalem facultatem Dioecesanos à casu Papali absolvendi, censetur auferre reservationem respectu talis Dioecesis, ut cum aliis notat Suarez l. c. n. 15. Unde

Ad fundamentum contrariæ sententiæ R. illud tunc locum habere, quando potestas alicui delegatur respectu certarum duntaxat personarum; secus si delegetur respectu omnium subditorum, seu totius Communitatis; tunc enim ex quadam æquitate, & in re favorabili ceteri etiam comprehensum ipsum Pastorem Communitatis, ob allatas rationes.

216 Ad 3. Q. Notandum est, delegationem posse esse generalem, & indeterminatam, & specialem respectu certarum duntaxat personarum. Loquendo de generali, & indeterminata, non nulli cum Palud. in 4. d. 17. q. 4. a. ult. concl. 7. S. Anton. p. 3. tit. 17. c. 9. in fin. Sylvest. V. Confessor 9. 7. Ang. V. Indulgentia n. 7. Philiarch. tom. 1. de offic. Sacerd. p. 2. l. 2. c. 24. aliisque censent satis probabiliter potestatem delegatam ad audiendas Confessiones expirare morte delegantis. Rationem dant; quia potestas jurisdictionis delegata, mortuo concedente, expirat, re integra adhuc existente, id est,

antequam delegatus cœperit jurisdictione uti, sicut ex communi docet Abb. in c. relatum n. 7. de offic. & potest. Judic. delegati. & patet ex alibi dictis: Atqui potestas audiendi Confessiones est potestas ad exercendam jurisdictionem, & res est adhuc integra quoad omnes eas personas, quarum Confessiones nondum cœptæ sunt audiri: ergo.

2. Quia hæc potestas videtur esse gratia facienda, non facta; cum Episcopus non concedat facultatem audiendi Confessiones in favorem ipsius Confessarii, sed in gratiam pœnitentium, ut ovium saluti consulat, prout ex officio tenetur; ergo concedentis morte, re integra, expirabit, juxta eam, quæ alibi dicta sunt de gratia facienda.

Sed contrarium, idque probabilius, asserendum est, ac dicendum cum Navar. c. placuit n. 162. de Pœnit. d. 6. Sanch. l. 8. D. 28. n. 72. Laym. l. c. n. 22. Henriq. l. 6. c. 6. n. 7. Sà V. gratia n. 4. Sayr. tom. 1. l. 7. c. 14. Graff. 1. p. de cis. l. 1. c. 12. aliisque, licentiam audiendi Confessiones concessam ab Episcopo, aliove Ordinario potente concedere, non expirare morte concedentis. Ratio est, 1. quia omnia jura, ut notat Sanch. l. c. quæ decidunt potestatem jurisdictionis perire morte delegantis

tis re integra, agunt de potestate contentiosa, seu ad lites, qualis non est potestas audiendi Confessiones, hæc enim computatur inter gratias, quæ, si gratiæ factæ sunt, non expirant morte concedentis; illa verò computatur inter Justitiæ litteras, ubi mortuo delegante jurisdictionis potestas delegata expirat, si res sit integra, ut constat ex *C. sanè, C. relatum, C. gratum*, aliisque, idque etiam ideo, quia jurisdictio ad Justitiam alicui delegata habet rationem mandati, mandatum autem expirat morte mandantis. Ut alibi dictum est; contra verò potestas audiendi Confessiones merito computatur inter gratias factas; quia, licet remotè tendat in utilitatem pœnitentium, cum tamen non concedatur respectu personæ determinatæ in peculiarem illius favorem, atque ad ipsius petitionem, sed generatim & absolutè, reputatur potiùs gratia proximè, ac directè facta ipsi Sacerdoti, cui conceditur, & in cuius maximum favorem, & beneficium redundat, & Statim, ac ipsi conceditur, est perfectè concessa, & à nullius executione dependens, quæ est gratiæ factæ definitio, ut notat Sanch. n. 48. gratiam autem, seu beneficium Principis decet esse mansurum.

Conf. ex ipsa praxi; nam mor-

tuo Episcopo Pœnitentiarius, alii- que Confessarii ab ipso expositi pergunt concessa sibi facultate uti, donec à Capitulo, vel successore revocetur, quin & ipsos Sacellanos, & cooperatores à Parochis ad audiendas Confessiones assumptos, iis mortuis, videmus, inquit Ægid. *D. 8. dub. 10.* suo officio fungi, donec à successore amoveantur.

Ex his patet responsio ad argumenta in contrarium allata. Nam quòd potestas jurisdictionis delegata expiret re integra, intelligendum est de jurisdictione delegata contentiosa, seu ad lites; secùs quando est in solo conscientiæ foro, & gratiosa, utpote quæ non habet rationem mandati, sicuti prior, sed gratiæ, & beneficii. Demum delegatus ad Justitiam vices gerit delegantis, ejusque personam repræsentat, juxta *citt. cap. sanè.* Cum ergo mortuo delegante expiret ejus jurisdictio, per consequens expirat etiam jurisdictio in delegato, quia extincto jure Auctoris, extinguatur etiam jus acceptoris, *l. lex vectigal ff. de pignoribus.* At verò delegatus ad confessiones audiendas judicium in foro conscientiæ exercet non in persona delegantis, sed in persona, & auctoritate Christi per ordinis potestatem.

Secùs



Secus tamen dicendum foret, si licentia concessa esset Sacerdoti ad audiendas Confessiones alicujus determinati pœnitentis, in illius pœnitentis favorem; tunc enim facultas exspiraret morte concedentis, re integra, id est, quoad Confessionem nondum audiri cœptam; quia cum illa gratia sit in illius pœnitentis favorem concessa, & nondum sit perfecta, sed per Confessarium executioni primum mandanda, non habet rationem gratiæ factæ, sed faciendæ, quæ morte concedentis, re integra, exspirat, juxta alibi dicta. Ex quo capite AA. communiter etiam asserunt, facultatem dispensandi cum determinata persona, in illius favorem concessam, morte concedentis exspirare re adhuc integra.

## C A S U S XXXVIII.

*De pœnitentia à Confessario pœnitenti imponenda, & à pœnitente acceptanda.*

**T**ertius helluo jejunare non assuetus pro pœnitentia à Confessario accipit, ut per dies aliquot Sabbatinos jejunct, & à sacra mensa eo die abstineat, sed post octiduum confiteatur, & communicet.

*QUÆR. I. An Confessarius bene, & absque violatione Sigilli potuerit pro pœnitentia ea jejunia imponere?*

*QUÆR. II An possit à Confessario pro pœnitentia imponi, ut pœnitens abstineat à Sacra Communione?*

*QUÆR. III. An justam pœnitentiam à Confessario impositam possit pœnitens recusare, aut dissimulare, se illam acceptare animo tamen non explendi, eò quòd velit in Purgatorio expiare pœnam peccatis debitam, vel eò quòd sciat se posse lucrari Indulgentiam plenariam? Item an pœnitenti liberum sit, inchoatam Confessionem abrumpere, & sententiam hujus Sacerdotis declinare, alium adeundo?*